

Sacramenta conficiunt. Justificantem autem, aut sanctificantem gratiam non possent dare impii, si virtute propria Sacramenta conficerent; at cum virtute Christi agant, Deus per illos eandem gratiam conferre utique potest, & confert revera ob Divinam promissionem. Spiritus Sanctus demum in Ministro licet impio habitat ratione potestatis & characteris, non habitat ratione gratiæ sanctificantis & charitatis; Minister ergo, licet impius, potest peccata dimittere.

S C H O L I O N II

Nonnisi per summam impudentiam clamant Anabaptistæ, & alii juniores Novatores, nos vitæ sanctimoniam in Jesu Christi Ministris non requirere; nam quo sensu necessaria non sit in Sacramentorum Ministris sanctitas vitæ diximus satis *Schol. sup.*; summam vero vitæ sanctitatem in Ministro Sacramentorum, ut sine ulla offensione Sacramenta conficiat aut ministret, semper desideravit Ecclesia; & jam olim novimus, ad Sacerdotii gradum non fuisse eVectos, nisi illos tantum, qui baptismi innocentiam servassent; novimus pariter, semel a Sacerdotii gradu propter aliquod crimen dejectos, vel nunquam, vel nonnisi ob summam Ecclesiæ necessitatem, pristino honori ac dignitati restitutos. Tempore *S. Gregorii* hæc vigeat disciplina, ut constat ex *l. 3. ep. 26. ad Jan. Episcopum Calaritanum*: „ Pervenit etiam ad „ nos, ait Sanctus Pontifex, & vere magnus Ecclesiæ Doctor, „ pervenit etiam ad nos, quosdam de Sacris Ordinibus lapsos, „ vel post pœnitentiam, vel ante, ad officii sui Ministerium „ revocari, quod omnino prohibemus, &c. in hac re Sanctissimi canones contradicunt. Semper autem eundem fuisse Ecclesiæ spiritum, eadem semper Ecclesiæ vota, licet pristina illa vere salubris Ecclesiæ disciplina jampridem exoleverit, ex *Trident. constat sess. 14. c. 1. de reform.* Voluit Synodus: *Per Episcopos sæpius monendos Clericos, in quocumque Ordine fuerint, ut conversatione, sermone, & scientia commissi sibi populo præcant: memores ejus, quod scriptum est: Sancti estote, quia & ego Sanctus sum: Lev. c. 11. v. 44, & juxta Apostolum: Nemini dent ullam offensionem, ut non vitu-*

pere.